



SECUNDA DIOECESANA

SYNODUS

A B

ANDREA BRANCACIO

ARCHIEPISCOPO CONSENTINO

Habita die Dominica in Albis octava Mensis Aprilis MDCCXIV. *ac diebus sequentibus*.

Ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei Beatissimæ Virginis Matris Mariæ, & Divi Francisci de Paula præcipui Civitatis, & Dioecesis Patroni.



ROMÆ, Ex Typogr. Rever. Cameræ Apost. MDCCXV.

Superiorum Licentia.

ANDREAS BRANCACIUS

ARCHIEPISCOPUS CONSENTINUS.

Dilecto Clero, cæterisque suis in Christo filiis salutem, & paternam benedictionem.

D.



Ecundam Diœcesanam Synodum celebraturi, vos moneamus oportet Filii charissimi, non alio Nos moveri impulsu, quàm, ut obsequamur Spiritus Sancti imperio, qui Patribus in generali, & œcumenica Synodo Tridenti congregatis, suggessit, Nobis mandarent, ut quotannis eam celebraremus: quamobrem cùm per aliquot distulerimus annos, acres perpessi sumus conscientiæ stimulos, ne in tremendo judicio argueremur negligentiæ: siquidem cùm leges sint justorum, injustorumque distinctio, quæ supplicio improbos afficiunt, & defendunt, ac tuentur bonos, qui eas condere prætermittunt, bonos debito privant præsidio, & malis aditum ad vitia parant, eorumq; participes fiunt. Id seriò meditatus Propheta, omnium Præsidentium

nomine enixè Dominum est deprecatus, *Ab alienis parce servo tuo.* Si igitur comitiorum convocatio tantùm nostra inservit incolumitati, tantiq; vestra interest, quippè quibus potius legum præsidio fruendum, quam animadversione timendum erit, æqui consulite labores, quos in conveniendo suscepistis, quemadmodum & Nos incommoda, quæ vos convocandi, legesq; condendi causa perpessi sumus, libenter suscepimus, ac legibus, monitisq; quæ magnitudo, & vis amoris nostri ergà vos paterni, quem in omnibus diù experti estis, non Judicis severitas, dare suppeditavit, obedire non recusetis, ita enim, & animi nostri benevolentiam, & divini amoris abundantiam facilè erit experiri; quandoquidem non solum ut Nobis obtemperetur, & obediatur, verùm etiam, ut colamur, & diligamur severè præcipit.

C A P U T I.

De Fide, & Doctrina Christiana.

A Concil. Trident. ses. 3. et ses. 25. c. 2 ses. 6. c. 8. Can. legimus distint. 93. Can. loquitur 24. qu. 1. ad Romanos x.

B Edictum S. Off. ann.

APostolicam Fidem Catholicus vir omni tempore corde credere *A* ad Justitiam, quādoq; verò profiteri ad salutem tenetur: quamobrem ejusdem Fidei sinceritati in nostra Diœcesi prospicere cupiētes, omnibus, & singulis mandamus, ut infrà triginta dies à cognitione habita, Nobis, vel supremo inquisitionis Tribunali de Vrbe denuncient hæreticos *B*, vel de hæresi suspectos, qui enumerantur in Decreto novissimè emanato ab eodem supremo Tribunali, & à Nobis etiam enunciantur in prima nostra Synodo, sub pœnis in eodem edicto, & aliis juribus contentis.

C Concil. Triden. ses. 5. c. 2. ses. 24. c. 4. de Reformat. Cap. Vt quisque, de vita & honest. Clericorum, Bulla 137. Pii V. Catechis. Rom. in præfat.

Mandamus itidem, & strictè præcipimus Parochis *C*, ut ad explendas muneris sui partes sedulò incumbant ad docendū pueros Fidei rudimenta, præsertim, quæ necessaria sunt expressè credere, vel ad susceptionem Sacramentorum, maximè Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, idq; prestent omnibus diebus Dominicis, & Festis de præcepto, non tantùm semel post prandium, convocando populum more solito, ad præscriptum nostræ

ſtræ primæ Synodi,ſed etiam manè in Miſſa matutinali pro iis, qui campos adire debent ad gregum cuſtodiam: moneantq; ſæpè D parentes, ut eamdem curam habeant, quilq; pro ſua familia. Ad id quoq; tenentur ludi E magiſtri, ſaltem bis in hebdomada: vidimus enim pleroſq; negligentes in hoc fuiſſe, & experti ſumus tàm in ſanɛta Viſitatione, quàm in examine pro promovendis ad primam tonſuram, ac Nobis teſtati ſunt Curiæ miniſtri, quibus demandata eſt cura examinandi eos, qui accedunt pro matrimoniis expediendis: undè enata eſt Nobis neceſſitas, in noſtra Cathedrali Eccleſia id officium præſtandi per noſmet, alliciendiq; pueros etiam munuſculis, & utinàm poſſemus adeſſe in omnibus noſtræ Diœceſis locis, porrò idem adimpleremus munus, putantes nil gratius Deo efficere poſſe, quàm pueros in tenella ætate ad ejus Fidem, & amorem informare: quòd ſi Parochi eos docere F neglexerint, Omnipotentis Dei ſentient animadverſionem, & noſtram indignationem incurrant, utq; negligentiȩ mederi poſſimus, mandamus omnibus Vicariis foraneis, ut ſub pœnis Nobis benè viſis ſedulò ſuper hoc invigilent, & quolibet menſe de negligentia certiores Nos faciant.

Fidei profeſſionem coràm Nobis, vel noſtro Generali Vicario emittant perſonarum genera, quæ ſequuntur. G Proviſi de parochiali beneficio, de Canonicatibus, vel Dignitatibus in Eccleſia Cathedrali, & hi non ſolùm coram Nobis, ſed etiam in Capitulo, ludi Magiſtri, & alias ſcientias docentes, Concionatores, Advocati, & Procuratores in cauſis Fidei, Examinatores, Judices, & teſtes ſynodales, ad præſcriptum Concilii Tridentini, & Bullæ fel. rec. Pii IV. H ſub pœnis in eiſdem juribus contentis. Medici verò tenentur eam profeſſionem emittere, ſi prætermiſerint in ſuſceptione gradus, & juramentum præſtare de ſervanda Bulla S. Pii V. I

D Eccleſ. c.7. Proverb. ca.19. S. Auguſt. in Serm. Dom. 11. poſt Pentecoſt.

E Conſt. 7. ſuper. diſpoſit. §. 1. Leonis X.

F Concil. Sabinen. in decret. Morum cap. 11. Clem. 8. a ǒſt. Paſtoral Eſt ſuſpendendus Ricc. par. 1. dec. 22. n. 1. 2. & 3.

G Concil. Trid. ſeſ. 24. c. 12.

H Conſt. 88. incip Sacroſan. Conc. Trid.

I Cōſt. 3. incip. Super gregem.

CA:

CAPUT II.

De Reliquiis, veneratione Sanctorum, & Sacris Imaginibus.

A Conc. Trid. ses. 25. de invoc. & vener. Reliq. & SS. Concil. Constanf. sess. ultim. Const. Mart. V. Concil. Magunt. 4. c. 43.

B Conc. Trid. ibid.

C Concil. Mediolan. V.

D Concil. Mediolan. I.

E Concil. Mediolan. ibid.

F Conc. Trid. relat.

G De Reliq., & venera. SS. c. fin. Concil. Lateranen. 4. c. 62.

H Conc. Trid. ses. 25. de invoc. & venerat. SS. Concil. Mediolan. I. titul. Quæ servanda sunt in Sacris Imaginibus. Vrbanus VIII. in append. 2. Const. 51. incipit. Sacrosancta.

SAnctorum *A* Corpora, quæ viva Christi membra fuerunt, & Templum Spiritus Sancti, & ab eo suscitanda, & glorificanda sunt, per quæ divinorum beneficiorum homines participes fiunt, omni veneratione digna confitemur: proinde eorum Reliquias decenter servari, & tractari in nostra Diœcesi mandamus.

Nemo igitur deinceps *B* exponat Reliquias publicè adorandas, nisi prius à Nobis fuerint approbatæ: nemo publicè, & solemnitèr eas deferat ad domos privatas, etiam prætextu subveniendi infirmis, *C* sine nostra licentia. Serventur in loco decenti *D*, & in suis reliquiariis, quæ si lignea sint saltem auro, vel argento vestiantur. Quando ex locis ubi asservantur Reliquiæ ad Altare deferendæ sunt, deferantur à Sacerdote, superpelliceo, & stola induto, præcedentibus saltem duobus Acolytis cum *E* luminaribus accensis; nec ad Altare deferantur, nisi diebus solemnibus, vel pro publica utilitate, & si quæ etiamnùm in nostra Diœcesi fuerunt semper expositæ in Altaribus, deinde in suis Custodiis asserventur, quæ de novo fiant, ubi factę non sunt. Claves, ubi Reliquię custodiuntur, sint penès Parochum, ~~vel alium~~ Sacerdotem, nullo modo penès seculares: & si quid miraculosi *F* per eas operetur Dominus, statim Nobis nuncietur à loci Parochis, & Vicariis foraneis, ut nostrorum Theologorum judicio possimus uti.

Nemo publicè exponat adorandas novas *G* Imagines, nisi prius fuerint benedictæ, & à Nobis recognitæ, nùm sint procaci *H* venustate depictæ, vel sculptæ, nùm possint intuentium animos ad venerationem, & pietatem allicere. Nec quis eas ornet ultra decentiam, ut vanam præseferant pompam: id quod cupimus, & optamus fieri, etiam in domibus privatis: proindè omnes paternè monemus, ut in suis domibus non ha-

beant

beant imagines procaces, non profanas, non *I* immodestè depictas, vel sculptas, sed Imagines Sanctorum, & quæ repræsentant nostræ Fidei Mysteria, per quas ad virtutum actus excitentur. Nec aliquis negligat in suo cubiculo habere *K* Imaginem Christi in Cruce pendentis pro nostra salute immolati, in eo enim signo datum est Christifidelibus vincere: nihilominus docendi sunt rustici venerationem non referri ad Imaginem, sed ad prototypa, *L* quæ Imagines repræsentant, ne evadant idolatræ.

Prohibemus omnibus, & singulis eleemosynarum quæstoribus, ne deferant Sanctorum Imagines in nostra Diœcesi sine *M* nostra licentia in scriptis, gratis concedenda; nec locorum Parochi, & Vicarii foranei eos quæstuare permittant.

I Vrbanus. VIII. in append. 2. Const. 5. Sacrosf.

K Concil. Mediol. 3. & 4.

L Gregor. I. lib. 9. ex reg. Epistol. 9. l. 7. ex reg. Epist. 54. Greg. 2. Epist. 10. & 12. Concil. Senen. c. 14. Magunt. 4. cap. 42. Concil. Trid. sess. 25. in dec. de invoc. SS.

M Clement. de pœnit. C. fin. Concil. Toletan. 22. c. 13.

CAPUT III.

De Indulgentiis.

INdulgentiarum thesaurus, *A* quo merita Christi, & Sanctorum nobis applicantur in redemptionem peccatorum, & pœnæ, quas daturi eramus pro peccatis, dimittuntur, ut fructuosus sit nostris Diœcesanis, mandamus omnibus, & singulis Parochis, ut quisq; in sua parochia identidem moneat populum indulgentias non posse consequi eos, qui in gratia *B* non existunt: quandoquidem nisi dimissa culpa, pœna non remittitur, & quamvis eas aliquando consequi possimus, non præmissa confessione, semper tamen confessio præmittenda est, ut de consecutione simus magis securi, quod præcipuè docendi sunt Rustici, qui quandoq; contritionis vim ignorant.

Nemo, quamvis *C* Regularis sit, novas evulget indulgentias, sine nostra licentia, & nemo ad quæstum illis abutatur.

A Extravag. Vnigenitus de pœniten. & remiss.

B Extravag. antiquorum, & Extravag. Vnigen. Leo. X. const. 40. incip. Exurge.

C Extravag. Vnigen. relata. Clemen. abusio. lib. de pœniten. & remiss. Conc. Trid. sess. 21. c. 9. de reform.

CA.

CAPUT IV.

De Sacramentis ministrandis.

A Isaiæ 32. Levit. 22. Can. necesse est. Genes. 19. Eccles. x. Concil. Turon. 1. c. 1.

Sanctà sanctè tractanda sunt *A*, & mundi esse debent qui ferunt vasa Domini, quod si contemplentur Sacerdotes, & Parochi, quibus demandata est cura Sacramenta ministrandi, per quæ nostra justitia, vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa recuperatur, facilè intelligent, qua sanctitate se præditos esse oporteat: monemus proindè Parochos, quibus animarum cura est commissa, & præstò esse debent divina Sacramenta petentibus, ut sui officii memores ità mores suos componant, ut semper ad ea ministranda sint parati: quamobrem si aliquando, quod Deus avertat, se lætali culpa commaculaverint, statim suas sordes eluant, ne citò vocati ad aliquod Sacramentum ministrandum, novæ culpæ se reos efficiant, & scelera sceleribus cumulando divinam iram provocent ad ultionem. Nec desinant populum monere de Sacramentorum sanctitate, & fructu, *B* quem dignè recipientes consecuntur, nec non de puritate, qua debent esse ornati accedentes ad ea, ut possint gratiam consequi.

B Conc. Trid. ses. 7. can. 7. de Sacram. & sess. 24. c. 7. de Reformat. Can. Per Isaiam 1. quæst. 1.

CAPUT V.

De Baptismate.

A Roman. 5. Isa. 62. Ephes. 2. Roman. 3. & 6. Hebr. 2. Concil. Auratican. c. 25. Celestin. 1. Epist. 1. c. 4. Concil. Trid. c. 9. sess. 6. de Iustificat.

Omnes nascimur filii iræ *A*, & nemo mundus est à sordibus, nec unius diei infans, proinde pientissimus Dominus communi malo obvium adhibuit remedium, nempè Baptismum, cujus materiam aquam *B* voluit esse naturalem, quæ à nemine desiderari potest: formam verò voluit esse sitam in illis Ministri verbis. *Ego te baptizo C in nomine Patris, & Filii, & Spi.*

B Trid. ses. 7. can. 2. Matth. 3. Joan. 3. ad Ephes. 5. Eugen. 4. in decreto unionis Armenorum §. 5. Ecclesiastic. Clem. 1. Epist. 3. Inn. 4. constit. 14. sub Catholic. §. 3.

C Matth. 28. Concil. Florent. in extruct. Armen. Alexand. 3. cap. 1. de Baptism. Concil. Trident. loc. cit.

& Spiritus Sancti &c. quæ omnia necessaria sunt: Sancta tamen Mater Ecclesia pro Baptismo solemni conservat aquam benedictam *D*, & sacro Chrismate fœcundatam, multas adhibens ceremonias, ut suis precibus infantem juvet, & dignitas Baptismi magis elucescat. Igitur fons baptismalis interior, in qua dicta aqua asservatur, sit adminus lapideus *E*, quemadmodum, & exterior, operculum verò fontis exterioris, sit saltem ligneum. Fons interior, habeat etiam suum operculum adminus æreum, cum conopæo albi coloris. In summitate sit Crux, cooperculum fontis exterioris à parte interiori induatur veste alba, & à parte exteriori conopœo ejusdem coloris. In summitate sit imago Divi Joannis Baptistæ Christum baptizantis *F*. Intrà fontem exteriorem serventur olea sancta in vasculis mundis stamneis *G*, vel argenteis, si fieri potest, in quibus adsint characteres oleorum diversitatem significantes. Servetur pollubrum, quo Parochi utantur ad colligendam aquam, quæ fluit à capite baptizati, cum cocleari adminus stamneo pro infundenda aqua, & servetur vestis candida, seù linteolum, quæ omnia munda sint. Portula operculi fontis sera muniatur, & clavis *H* detineatur à Parocho, qui non possit secularibus eam committere. Iuxtà fontem adsit sacrarium, etiam sera clausum; & in illud proiiciatur aqua, & cineres gossipii, vel lintei, quibus Parochus abstergit membra baptizati cum prius comburi debeant in aliquo vase, ne fumo sacrarium inficiatur. Intrà fontis cooperculum custodiatur etiam salinum, ità cautè, ut non facilè sal liquescat.

D Concil. Maguntin. cap. 39. Clemen. lib. 7. Const. Apost. c. 44. Synod. Adjacon.

E C. Omnis Presbyter, de consecrat. dist. 4. Ritual. de Sacram. Bapt. tit. de temp. & loc. Concil. Illerden. cap. 7.

F Ritual. relat. Concil. Mediolan. 4.

G Synod. Adiacon. Synod. Sutrina constit. Iustin. cap. 23. §. 23.

H Const. Iustinian. cap. 21. §. 21. Synod. Adiacon. cit.

In libris baptizatorum Parochi non utantur numeris arithmeticis *I*, sed omnia describant per extensum ad formam Ritualis Romani, & cœtera servent in nostra prima synodo statuta, sub pęnis arbitrio nostro.

I Ritual. Roman.

CAPUT VI.

De Sacramento Confirmationis.

CVm multi sint, qui Sacramentum hoc accipere negligant, multiq; ad ultimam differant senectutem, clarè

constat ejus vim, & dignitatem ignorare: propterea Parochi, quanto bono se privent, sæpè sępius explanabunt A, præcipuè quando sumus illud administraturi, ut populus incendatur ad Sacramentum hoc suscipiendum, & cum debita præparatione accedat, servantes omnia, quæ in nostra prima Synodo, vel mandavimus, vel monuimus, quæ hic repetere supervacaneum putamus. Mandantes insuper, ut in schedulis, quas in prædicta Synodo à confirmandis afferendas esse diximus, exprimant num patrinus sit confirmatus, ut possimus eum excludere, quemadmodum Pontificale mandat.

A C. Omnes fi. deles c. Spiritus San. C. His verò Can. novis. de cōsecrat. distint. 5. Concil. Florentin. in decret. Eugenii, Concil. Colonien. par. 7. cap. 8. Trid. ses. 24. cap. 7. Concil. Mediolanen.

CAPUT VII.

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento.

OMnia à Christo Domino A instituta Sacramēta, tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm suscipiuntur; almum verò Eucharistię Sacramentum omnis sanctitatis auctorem, & fontem continet Christum Dominum antè quàm sumatur, ideoq; speciali veneratione dignum esse profitemur, quemadmodum etiam Apostolus ad illud suscipiendum speciali dispositione mandat, præparemur iis verbis: *Probet autem se ipsum homo B, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat*; quam probationem per Sacramentum Pœnitentiæ debere fieri Tridentina Synodus declaravit C. Sacramentum hoc Dominus in ultima Cœna instituit D, ut cum hominibus, qui ingratissimi eum à mundo conabantur expellere, perpetuò maneret, ineffabili quodam modo, quem mens humana, nisi Fide illustrata, intelligere non sufficit. Hunc Divini Amoris excessum miratus Evangelista in illa verba prorupit E, *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*, ut nos ad eum redamandum, grati animi causa excitaret. Misera tamen hominum conditio ea est, ut quæ magis sunt amanda, minus amentur, & quæ majori pretio digna, minoris ducantur. Quamobrem videmus, non sine magno animi nostri mœrore, Tabernacula F, in quibus Sancta Mater

Ec-

A Ioan. I. c. I. de summa Trinit. ad Ephesios 1. Trid. sess. 3. & sess. 13. c. 1. Can. Multi 1. q. 1. 1. Matth. 26. & Marc. 14.
B Chor. 1.
C Sess. 13. c. 7.
D Ioan. 6. ad Chorint. 11. Lucæ 22. Can. Iterat. de cons. dist. 2. Trid. ses. 13. c. 2.
E Ioan.
F Concil. sess. 13. cap. 6. Synod. Brunduf. Constantius Archiep. Consentin, in admon. ad Paroch.

Ecclesia, à Spiritu Sancto edocta, Sacramentum hoc semper custodiri jussit, &, circà quæ Angelorum legiones venerabundas assistere, piè credimus, hominum destituta obsequiis, quando sepulchra Martyrum, & insignes Sanctorum Reliquiæ, convenientibus ex universo Orbe hominibus frequentantur: & utinam Tabernacula hominum tantùm fraudarentur obsequio, siquidem, quod maximè dolendum est, iniuria afficiuntur ab his, qui antè ea transeuntes, nec caput aperiunt, & *G* quandoq; antè ea deambulant; proinde mandamus omnibus, & districtè præcipimus, ut antè tabernacula transeuntes, demissè genuflectant, nec deinceps quis audeat antè ea deambulare. Quæ de hoc Sacramento custodiendo dignè manducando in processionibus, & ad infirmos deferendo Nobis benè visa sunt mandare, vel monere, in nostra prima Synodo inseruimus, quæ servanda esse omninò volumus, unum, aut alterum addentes, ut omnes, & singuli Parochi in eam curam incumbant, ut unusquisque satisfaciat præcepto communicandi in Paschate *H*, & propterea suorum parochianorum, qui tempore Paschatis extrà Parochiam inveniuntur, curam paternam habentes, non admittant excusationes, si dicant alibi communicasse, nisi deferant testimonium signo alicujus Notarii publici munitum, vel aliud publicum documentum, quod falsum nemo audeat dare, vel recipere sub pœna excommunicationis *I* latę sentētiæ Nobis tantùm reservatę, ut claudatur via fraudibus, aliàs eos habentes pro inconfessis Nobis *L* nuncient, ad finem providendi, ut iuris: major enim pars rusticorum, ex Pagis nostrę Diœcesis paschali tempore absunt, & utinam Parochi experiantur, cum ad sua redierint, num huic prçcepto satisfecerint, quod ut parochi efficiant mandamus *M*, & districtè præcipimus, sub pœnis arbitrio nostro, & contrà negligentes sedulò invigilabimus.

Alterum est Regulares monere, ne audeant ministrare Sacramentum hoc iis, qui in Paschate intendunt satisfacere Præcepto, sine licentia Parochi, memores se incurrere in excommu-

G Concil. Turòn. 2. c. 2. Synodus Romana sub Eug. 2., & Leon. 4. constit. Iustinian. lib. 3. cap. 82. tit. 1.

H C. Vtriusq; sexus, de pœnitē. & remis. Conc. Lateranen. 4. c. 21. Trever. cap. 12. Colon. 2. tit. Censuræ c. 34. Cabilon. 3. cap. 47. Trid. Sess. 13. cap. 9. Soterus Epist. 2.

I Concil. Mediolan. 5. part. 1 titul. quæ pertinēt ad Sacram pœn. Conc. Tolet. 19. c. ult. Concil. Senen in decret. morum c. 12.

 mu-

L Concil. Mediolan. 1. part. 2. tit. quæ ad Sacram. Sanctæ Eucha. pertinent.

M Cap. omnis & Concil. Later. Trever. Tolet. Colon. 7. c. 21. Concil. Mediolan. 2. tit. 1, dec. 13. Concil. Mediol. 3. tit. de iis, quę ad Sacram. Euchar. pertinent.

N Const. Clem. V.

municationem summo Pontifici reservatam in constitutione Clementis V. & mandare N, sicuti mandamus sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & Nobis reservata omnibus, & singulis Sacerdotibus secularibus, ut non audeant, & nemo ipsorum audeat sine licentia Parochi, communicare eos, quos sciunt velle satisfacere præcepto, sed omnes communicent apud proprium Parochum, rationem Deo, & Nobis redditurum.

CAPUT VIII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

A Concil. Trid. sess. 24. c. 3. & sess. 6. c. 14. de Iustificat. & sess. 24. can. 4. Cathec. Rom. part. 2. cap. 5. nu. 14.

B Cath. Rom. par. 2. cap. 5.

C Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 7. & sess. 22. c. 8. Synod. Brundusin. & Adiacen.

D Suar. disp. 22. Nung. qu. 9. artic. 2. dub. 1. Reginal. lib. 6. num. 150. Pitigian. & alii.

IN cæteris Sacramentis materia, & forma à ministro sufficitur, in Sacramento verò Pœnitentię, materia à pœnitente suppeditatur, cum Tridentina Synodus declaraverit A, quasi materiam hujus Sacramenti esse actus pœnitentis, nempè contritionem, confessionem, & satisfactionem, quorum duo primi ad essentiam, tertius verò ad integritatem pertinet: ideò Parochorum solertia in eo versetur oportet B, ut sui Parochiani benè intelligant, quid ad horum actuum validitatem requiritur, ut possint gratiam Sacramenti adipisci. Ideò mandamus, & sub interminatione divini judicii præcipimus Parochis, ut frequenter inter Missarum solemnia C, quando concio habenda erit, & in doctrina Christiana, maximè quando populus frequentior convenerit, explicent, & explanent quid, & quotuplex sit contritio, quando ad justificationem sufficiat, cum hoc Sacramento tantum in voto, quando requiratur in re, quæ sit materia necessaria hujus Sacramenti, quæ sufficiens, quotuplex sit confessionis integritas, quando materialis integritas, possit prætermitti D, quomodo, & quando adimpleri debeat iniuncta pœnitentia: experientia enim nos docuit magnam populi partem harum rerum ignorantia laborare, & præsertim mulieres, qua ignorantia, qua malitia confessiones sæpè dimidiare, rusticos sine dolore ad pœnitentiam accedere, & universos pœnè recidivos, proposito non peccandi de cætero carere: quamobrem Sacramentum hoc non multis prodesse

ve.

veremur, quando ad universorum necessitatem misericors Dominus illud instituit, cùm verum sit quòd nisi pœnitentiam egerimus omnes simul peribimus E. Propterea volumus, & mandamus, ut omnes Parochi Cathechismum Romanum apud se habeant, quo possint ediscere, quæ sui muneris sunt, & in nostra sancta Visitatione hoc diligenter scrutabimur. E Luc. 3.

Mandamus omnibus, & singulis, qui confessiones in nostra Diœcesi audiunt, ut infrà mensem à die publicati hujus Synodi Nobis præsentent pagellas confessionis, vel doceant, quo titulo confessiones audiunt, alias dicto termino elapso sint ipso jure à confessionibus audiendis suspensi.

Monemus Confessarios F, ut non sint adeò curiosi in interrogãdis pœnitentibus, ut eos devenire faciant in cognitionem peccatorum, quæ christiana simplicitas aliquando ignorat, nec adeò segnes, ut non juvent pœnitentes indigentes auxilio. F Concil. Colon. 2. part. 7. c. 33. & 34.

Nullus deinceps confessarius audeat confessiones audire, extrà Ecclesiam sibi assignatam, necessitas enim aliquando Nos cogit approbare confessarium pro uno loco, quem pro alio non approbaremus; & nemo audeat audire confessionem sui complicis in turpibus, hunc enim casum Nobis tantùm reservamus, nec facultatem concedere intendimus, nisi specialiter à Nobis petatur. Et cętera, quæ in nostra prima Synodo circà hoc disposuimus inviolabiliter servare mandamus.

C A P U T IX.

De extremæ Vnctionis Sacramento.

QVamvis extremæ unctionis Sacramentum id commune cum cæteris habeat, ut gratiam conferat, in eo tamen hoc præcipuum, & singulare reperitur, ut salutẽ corporis operetur A, quoties infirmo expedierit, & ad modum orationis sit institutum, dicente Jacobo Apostolo: *Infirmatur B quis in bis inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, &* A Concil. Trid. sess. 14. c. 2. de hoc Sacramento. B Iacob. 5.

alle.

alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittuntur ei, &c. Vnde clarè liquet quantum suis commodis officiat, qui negligit illud suscipere, vel qui differt ad extremum vitę spiritum, quando sensibus est destitutus, & non potest cum cæteris orare c, proinde unusquisque curet eo uti opportuno tempore, ut possit bonorum, quæ gignit particeps fieri. Et Nos monemus omnes, rogamusque in Domino, ut quando aliquem ex suis consanguineis, vel domesticis morti approximari contingerit, curent eum hoc Sacramento roborari D: audivimus enim nonnullos veritos, ne ægrotos contristarentur, denunciando illis imminere mortis periculum, scivisse, ut absque hoc Sacramento decederent, vel illud ad extremum differrent, quando parum profuturum sperabatur. Munus E illud administrandi est proprium Parochi, vel alterius Sacerdotis de ipsius licentia, sine qua nemo ad illud ministrandum accedere audeat.

C Côcil. Trid. ubi supra c. 1. Eugen. 4. in lit. unionis. Concil. Magunt. 4. cap. 34. Ritua. Rom.

D Concil. Mediolan. Ritual. Roman.

E Innoc. 1. Epist. 1. cap. 8. distin. 95. cap. illud superfluũ.

C A P U T X.

De Ordinis Sacramento.

QVę circà hoc Sacramentum, vel ministrandum, vel suscipiendum, servari debere Nobis benè visa sunt, satis superque in nostra prima Synodo declaravimus, eaque inviolabiliter servari volumus, & mandamus, monentes omnes, & singulos, qui sacrę militię ascribi cupiunt, ut id non appetant animo rei familiaris augendæ A, non spe lucri, vel dignitatis, non animo evadendi seculare judicium, sed consilio verè Deo serviendi, & ab impedimentis secularibus se expediendi, quibus irretitos perfectionis iter arripere, vel prosequi difficile est: memores eos, qui in sortem Domini vocati sunt in scripturis nominari genus electum B, gentem sanctam, populum acquisitionis, & constitutos esse super candelabrum, ut omnibus luceant C. Severissimè enim animadvertet Dominus in eos, qui in suam sortem, nõ à se vocati, sed ab humanis affectibus impulsi, accedunt, & Nos, quantum, Deo dante, possumus, quos dignos putamus à populo secernimus. Propterea

A Côcil. Trid. sess. 23. cap. 5. & 7. Concil. Mediolan. 4. par. 2. & Mediolan. 5. tit quæ pertinent ad Sacram. Ordinis.

B 1. Petr. 2.

C Matth. 5. Luc. 12.

mo,

monemus omnes, & singulos Parochos, ut non putent se suo muneri satisfecisse, si tantùm attestationes mittant ad Nos de vita, & moribus promovendorum, sed etiam Nos secretò debent facere certiores de fine, quo ad Sacramentum hoc suscipiendum moventur *D*: facilè est enim Parochos hoc posse explicari, ex assidua consuetudine cum suis Parochianis: nec aliquando desinant in suis attestationibus expresse declarare, nùm promovēdi Choro inservierint cum debita assiduitate, & modestia, nùm interfuerint Doctrinæ Christianæ ad præscriptum nostræ primæ Synodi, num saltem bis in mense Sacramenta Pęnitentiæ, & Eucharistiæ susceperint; quod ut inviolabiliter servetur, mandamus his, quibus demandata est à Nobis cura ordinandorum processus examinandi, ut sub interminatione Divini Judicii, & nostræ severę animadversionis attestationes non admittant, in quibus Parochi hęc expresse non declaraverint.

D Concil. Mediol. 4. part. 2. tit. quę pertinēt. ad Sacram. Ordin.

CAPUT XI.

De Sacramento Matrimonii.

ET si primarius Matrimonii finis *A* à Domino instituti prolis sit procreatio, ejusque recta educatio, hominum tamen impotentia inverso ordine Matrimonio utitur ad libidinem explendam, & proinde statim contractis sponsalibus, sponsi conversantur cum sponsis *B*, (& utinàm tantùm conversentur) ea libertate, quæ tantùm Matrimonio in facie Ecclesię cōtracto, illis permittitur: id quod frequenter in nostra Diœcesi accidere deploramus, & quamvis omnem sedulitatem, omnemq; conatū adhibuerimus ad hunc abusum, seù potius turpem concubinatum eliminandum, etiam num omninò extirpatum non fuisse dolemus, nec pœnis à Nobis inflictis penitùs impediri. Quapropter, sicuti animi nostri sententia est, & enixè optamus, ità omnes paterne monemus, & pręcipuè rusticos, ut statim contractis sponsalibus matrimonium contrahant, ità

A Eugen. 4. in decret. unionis Arm. Cōcil. Florent. §. quinto Ecclesiasticorum Concil. Colon. 2. par. 7. c. 42. Concil. Toletan. 3. cap. 17. Gregor. 1. lib. 12. Epist. 31. cap. 10. Concil. Colon. 2. par. 7. c. 41.

B Concil. Triden. Ritual. Rom. Mediola. 6. Sac. Congr. 25. Octobris 1588. 26. Augusti 1589. 15. Maii 1590. 14. Decembris 1635. 15. Febr. 1636.

ità enim periculum evadent incidendi in tàm grave malum, suisque cupiditatibus licitè faciāt satis. Iterumque mandamus Parochis, & Vicariis foraneis, strictèquę pręcipimus sub interminatione maledictionis æternæ, ut sedulò super hoc invigilent, & omni humano affectu posthabito, in attestationibus, quas ad Nos mittunt delinquentes denuncient, aliàs inviolabiliter multabimus eos pœnis Nobis benè visis, & in prima Synodo comminatis, nec Vicarius noster Generalis, vel pœnarum Depositarius à Nobis destinatus, vel inposterum destinandus, alicui post hac pœnam, vel aliquam pœnæ partem remittat, etiam pretextu paupertatis: sanè experti sumus indulgentias super hoc perniciosas fuisse, & peccatis ianuam quodammodo patefecisse.

In attestationes etiam Parochi teneantur exprimere num sponsos super fidei rudimentis examinaverint C, & ea calleant, quas nemini concedant, quin priùs fidei rudimenta didicerint, nec Officiales nostræ Curiæ eas admittant, in quibus hoc non fuerit expressum.

Publicationes Matrimonii vagorum D, seù Zigarorum Parochi non faciant sine nostra expressa licentia, facilius est enim Nobis, quam Parochis eorum conditionem nosse. Cętera in prima nostra Synodo sunt sancita, quę inviolabiliter serventur.

C Constantius Archiep. Consent. in suis monitis ad Parochos. S. Congr. Episcop. ad Episcopum Marianen. Vigilatorū Apostol. Corsicę & DD. ut refert Campanilis in diverf. Iur. Canon. rub. 11. cap. 14. nu. 7.

D Concil. Trident. sess. 23. de reform. matrim. cap. 7. Concil. Agathen. cap. de his, &c.

CAPUT XII.

De Sacrosanctis Ecclesiis.

Quoties reminiscimur illa Redemptoris verba: *Domus A mea Domus orationis est*, & mentis oculis inspicimus mansuetissimi dexteram flagello armatam ad ulciscendum eos, qui vel levem injuriam Templo irrogabant, toties animo, & corpore contremiscimus, veriti, ne nostris temporibus quid gravius accidat: porrò ad Ecclesias ubi Agnus immaculatus quotidie immolatur, & sumitur, & in multis corporaliter inhabitat in venerabili Eucharistiæ Sacramento, homines qua

A Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. cap. cum Ecclesia de Immunit. Triden. sess. 22. cap. unic.

quâ socordiâ, quâ protervitate conveniunt ad negotia secularia *B*, vel tractanda, vel expedienda; in ipsis deambulant, rixantur, tumultuantur, strepunt, in sediis confessionalibus ubi divinum exercetur judicium assident, ad Altaria, & identidem ad Aras sacras incumbunt, ad Sancta Sanctorum ingrediuntur, & terga vertunt Altari majori, nec verentur Eucharistiam debito cultu, & veneratione fraudare: proinde talia in Ecclesiis fieri districtè prohibemus, renovantes omnia, & singula, quę in prima nostra Synodo de Sacrosanctis Ecclesiis de earum nitore, & cultu deq; immunitate, vel statuimus, vel monuimus; addentes, ut nemo præsumat circùm circà muros Ecclesię *C* turpe quid facere, vel sordidum quid deponere, vel lapidum congeries, nec intrà Ecclesias servare triticum, vel aliquod tritici genus, non ligna, non calcem, non lapides, nec aliud quidpiam hujuscemodi.

B Concil. Turon. 3. c. 38. & 39. Raven. 2. sub Clem. 5. cap. 12. Senon. in decret. mor. c. 16. Colon. 2. part. 3. c. 24. Sabin. cap. 18. Magunt. 3. c. 21. Mediolan. 1. par. 2. tit. de Ecclesiis, & earum cultu. Trid. sess. 2. Cōcil. Rom. 4. sub Damaso c. 3.

C Concil. Turon. 3. c. 38. & 39. Concil. Ravennat. 2. sub Clem. 5. c. 12. Cōcil. Sabinen. cap. 18. Concil. Mediol. 1. par. 2. tit. de Eccles.

CAPUT XIII.

De Chori servitio, & celebratione Missarum.

Ut Divinę laudes, quæ quotidie in Choro nostræ Metropolitanę Ecclesię persolvuntur, quantum fieri potest pro hominum imbecillitate, imitentur eas, quæ semper canuntur ante sedem Dei *A*, & Agni, mandamus, & districtè pręcipimus omnibus, & singulis Dignitatibus, Canonicis, Hebdomadariis, aliisq; Sacerdotibus Choro ascriptis, ut Officium recitent eâ corporis compositione *B*, eâ vocum modulatione, eâ devotione, & mentis ad Deum elevatione, ut nihil pręposterum, nihil inordinatum, nihil indecorum, dissonum, aut inde. bitum pręseferant, sed omnia religionem, & devotionem redoleant, ità ut bonus odor Ecclesiam, & Civitatem impleat, & dignus sit qui ascendat ad implendas phialas, quę sunt antè Thronum Dei.

Omnes Dignitates, & Canonici Choro assistant ad præscriptum indulti mediarię, aliàs non lucrentur distributiones, quę accrescant interessentibus, quemadmodum, & triti-

A Apocalyps.

B Concil. Colon. 3. ti. de offic. c. 12. Concil. Senon. in decret. morum c. 10. & 18. Concil. Mediol. 1. par. 2. tit. Quomodo versantur in Choro. Can. Cantantes distint. 92. Can. quando autem de consecrat. distin. 1. c. decet de immunit. Eccles. C Sac. Congreg. Concil. sub Inn. XII. 1698.

cum mansionariorum D, quibus hac conditione fuit à nostris Prædecessoribus assignatum, & eadem conditione à Nobis persolvi debet, ut videre licet ex instrumẽto assignationis, quod in calce hujus Synodi inseremus; proinde cura Pũctatoris E erit interessẽtes fideliter adnotare, & eos, qui accedunt tẽpore pręscripto, præscriptoq; tempore recedunt, ut possit distributio fieri inter pręsentes, exclusis absentibus pro rata absentię, nec amore, odio, vel quovis humano affectu ducatur, sed fidelissimũ se præstet, alias pœnis Nobis benè visis severè mulctabitur.

D Instrum. in fin. Synod inserend.

E. Pius V. Const. quæ incipit Susceptę 10. Maii 1567. Sacr. Congreg. Concil. 17. Martii 1619. Cõcil. Mediolan. 1. par. 2. de officio Punctatoris. Cõcil. Trident. &c.

Quoniam verò, quando Pontificaliter celebramus, vel cum Cappa assistimus in nostra Metropolitana Ecclesia frequentissimus esse debet Chorus, ne desit aliquis eorum, qui interesse tenentur F, mandamus omnibus, & singulis Canonicis, & Dignitatibus, ut sub pœnis nostro arbitrio Choro assistant; Hebdomadariis, & Sacerdotibus participantibus, ut assistant sub pœna amittendi anniversaria illiùs mensis, cuius die aliquo non assistunt, & Clericis sub pœna librarum trium cerę albæ elaboratę piis usibus, &c. pro qualibet vice, quod ut suum sortiatur effectum mandamus, & districtè præcipimus Punctatori sub pœnis arbitrio nostro, ut deficientes fideliter adnotet, ad hoc, ut anniversaria interessentibus accrescant, & cera possit exigi, piisque usibus applicari. Et ut Canonici, & Dignitates, qui Nobis immediatè assistunt, non possint excusationem adducere, quòd sint celebraturi, mandamus, ut iis diebus omnes mane celebrent, & in Altari privilegiato præferantur cæteris omnibus, quemadmodum debent præferri semper (dictis diebus tantùm exceptis) Hebdomadarii cæteris Sacerdotibus etiam participantibus, ut sint expediti ad Chori servitium, ad quod quotidie tenentur.

F Concil. Narnetẽ. 1. c. 8. Concil. Mediolan. 1. par. 2. tit. omnia de ratione officiorum. Concil. Raven. 1. sub Honor. IV. c. 5.

Prunæ nullæ sint in Sacristia dum divina celebrantur, sed hyemali tempore in ejus atrio, & ità elatæ à pavimento, ut nemo possit circà illas sedere, porrò commoditas se calefaciendi plures retardavit à Chori servitio. Nec tempore Divinorum ullus secularis ad Sacristiam G admittatur sub pœnis nobis benè visis.

G Concil. Mediolanen. 1. par. 2. tit. de offic. Sacristæ.

Mandamus omnibus, & singulis H Sacerdotibus partici-

H Concil. Colon. 3. tit. de officiorum, &c. cap. 12. Concil. Mediolan. ubi sup.

ticipantibus, ut omnibus diebus festis assistant Vesperis, & Missis cantatis sub pœna amittendi anniversarium, quod immediatè post celebratur, & Punctatoris cura sit eos adnotare sub pœna solvendi duplum.

Præcipimus servari decretum de supplendis vicibus, pro Missa cantanda, ità ut uno impedito, vel absente Canonico alius per ordinem cantare debeat; pluries enim, qui fuerunt ab absentibus, vel impeditis subrogati, non interfuerunt, & Chori servitium passum est detrimentum, ac quandoque excitatæ sunt turbæ. *1 Sacr. Congr. Concilii.*

Capitulum convocetur in Sacristia interiori, ne ea quæ proponuntur, & disponuntur cæteris fiant manifesta.

Dignitates, & Canonici iis utantur vestibus, & insignibus, quæ conceduntur sibi ex indulto Pœnitentiarii, concesso de speciali mandato Summi Pontificis, quod in fine hujus nostræ Synodi subnectemus.

Nemo induatur vestibus sacris, nisi continuò sit celebraturus, & si aliquando acciderit à celebratione impediri, non vagetur per Sacristiã, nec cum aliis colloquatur, sed vel genuflectat ubi adest præparatio ad Missam, vel stet juxtà Calicem, & meditetur qua veneratione sint dignæ vestes quas induit, & Sacrificiũ, ad quod est paratus sub pęnis arbitrio nostro. *1 Concil. Treveren. ca. 9. Concil. Mediolan. 1. part. 2. tit. quæ pertinent ad Celebrat. Missæ.*

Cætera, quæ in nostra prima Synodo de Chori servitio, & celebratione Missarum, statuimus in suo robore, & firmitate reliquimus.

C A P U T XIV.

De Parochis.

Cum plurima sint, quibus Parochi vacare tenentur, omniaque, & singula maximi sint ponderis, & momenti tametsi plura in nostra prima Synodo illis inculcaverimus, aliqua supersunt, vel illis inculcanda, vel denuò injungenda, vel de novo præcipienda.

Mandamus Parochis, & districtè præcipimus, ut confi-

A Conc.Trid. sess.24.de reformat.matrim.c.1. Ritual. Roman. Rot.diverf.part. 1. decis.750.nu. 10.& par.2.decis.340.n.2 & 4.Synod.Soran. Synod. Alerien. Synod.Adiacen. Innoc.3.inConc. Lateranen.c.21.

B Synod. Cremonen.

C Dyonis.Ep.2. 13.qu.1.c.Eccl.& c.Eccles.13.qu.1

ciant libros *A* baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, & mortuorum, in quibus absque ulla mora, ea fidelitate qua debent, describant omnia per extensum, sublatis, & penitùs eliminatis numeris arithmeticis, propria manu. Dictorum librorum totas impleant paginas, nec aliqua pars alba relinquatur, in qua possit nova fieri descriptio, & fraus. Eos servent in archivio Sacristiæ, quod, ubi non reperitur, de novo fiat, & serà claudatur, clavisque semper sit apud Parochum, qui rationẽ de ea est redditurus. Dictos libros nemini credant. Eos nemini præsentent *B*. Nobis exceptis, sub pœna suspensionis latæ sententiæ, & cum acciderit ex iis fidem extrahere, integram describant libri particulam, muniantque sigillo Ecclesiæ. Vbi Parochi plures sunt portionarii *C* sub eodẽ tecto unusquisque proprios habeat libros, ut possit suæ negligentiæ pœnas dare, quod si quandoque acciderit, ut omnes describant in eodem libro, quia Ecclesiæ, & curæ inserviunt alternis hebdomadis, nemo pro sua hebdomada describere incipiat, quin prius fuerint ab altero omnia descripta, alias uterque iisdem subiiciatur pœnis. In dictis libris nulla sit litura, & si aliquando, currente calamo, aliquod inordinatum exciderit non oblituretur, sed quod scribendum erat subjungatur, addito verbo, *dico*.

D Concil. Lateranen.3.c.13. Concil Senon. in Decr. Morum c. 11.

E Cap.consuetudo 16.quæst.6. Concil.Melevit. c.16.Conc.African.c.42.Glos.in cap.quantæ 5.de sentent.excomm. DD. &c.

F Synod.Brundosin. & Adiacen. De custodia Eucharistiæ, cap. relinqui.

Domus Parochi, & OEconomi *D* non distet ab Ecclesia Parochiali ultràquadraginta passus, ut prçstò possint esse Sacramenta petentibus.

In defendendis *E* juribus Ecclesiæ præstò sint, & cum ea defendere non sufficiunt, Nos certiores faciant, ut possimus nostra authoritate providere. Bonorum Ecclesiasticorum occupatores arguant, obsecrent, increpent, & contumaces Nobis denuncient ad finem providendi. Incumbant omni solertia ad nitorem Ecclesiarum, sibi commissarum, ut decet Domum Dei lavando purificatoria *F* semel in hebdomada, corporalia semel in mense, & albas quolibet tremestri, quod si medio tempore fœdari contingerit, statim ea mundent, & hoc intelligatur de omnibus Sacerdotibus, quibus etiam præcipimus, ut secum deferant manutergium, quo digitos abstergant, & ne-

& nemo deinceps audeat digitos abstergere in mappis, seù tobaleis Altarium. Parietes Ecclesiæ, tectum interius, Cappellas, & pavimentum qualibet hebdomada mundent à sordibus, & aranearum telis, ut saltem mundities ad devotionem alliciat. Sacras formulas inviolabiliter qualibet hebdomada renovent G ex hostiis recentissimè factis, & in purganda Pyxide attentissimè caveant, ne remaneat aliquod fragmentum, quod facilè putrescat, vel aliqua pars aquæ, quæ madefaciens novas formulas corruptionem gignat. Redditus reparationis Ecclesiæ pro eadem H expendi curent à Procuratore ad præscriptum nostræ primæ Synodi, nec ad sua commoda aliquid vertant. Invigilent jura oblationum servari, & vicissim jura Parochianorum non negligant, ut æqua sit utrisque justitia; proinde die Purificationis B. Mariæ Virginis candelas distribuant I in solito numero, pondere, & mensura. Iura parochialia alterius, nemo lædat, nec ultrà progrediatur ab eo, quod consuetudo longæva, & à Nobis approbata illi permittit, & unusquisque suæ parochiæ fines tueatur, ac defendat, ne promiscuis juribus confusio oriatur, & scandala. Nullas solemnitates L celebrare prætermittant, ne Dei obsequium detrimentum patiatur; ac omnia, & singula adimpleant, quæ pastoralis vigilantia mandat, sub pœnis arbitrio nostro.

G Archiepiscopus Consentinus in admonit. ad Curat. par. 2. tit. 2. cap. 3.

H Concil. Lateranen. 3. in append. de alien. c. 2. Concil. Aurel. 1. cap. 7. Concil. Magun. 42. Concil. Arelaten. 4. c. 25. Conc. Melden. 1. 62. de Eccles. ædifican. c. 1. & c. de his. Concil. Colon. 2. p. 3. c. 23. 10. qu. 3. c. Priscis, & cap. unio.

I Ceremonial. Episc. Castal. Synod. Adjacen. & Congreg. Rit. 12. Iunii 1627.

L Concil. Carthag. 4. c. 88.

CAPUT XV.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

Ecclesiastica beneficia ad animarum salutem, ad sustentationem Ministrorum Dei, & ad virtutis prœmium, pietate fidelium instituta, in Ecclesiis conservari, ad nostram solicitudinem pertinet, ut possimus ministros pauperes juvare, & ad virtutem spe beneficii consequendi multos allicere, quamobrem cùm in hac Diœcesi, & præsertim in nostra Ecclesia Metropolitana plura sint beneficia simplicia, quæ vel temporis injuria, vel hominum malitia, Nos latent, nec nostra Curia de eis valida habet documenta, & aliqua possidentur ab iis, qui forsan prætendunt ea A transferre ad quos malue-

A Concil. Colon. 3. tit. de altero medio c. 10.

B De conceff. preb.c.Propofuit. Concil. Later. 3. in append.tit.de pactionibus c.11. Concil.Tolet.18. c.4.& 5.
C Concil.Trid. seff.22.c.11.Thesaur. de pœn.Eccles. par.2.ca.1. verb.usurp.bona nu.1.Glos.c.mul. ti 2. q.1.& cap. quante 5. con. sentiéte de sent. excomm. Synod. Adjacen.
D De instit.c.ex frequentib. Cõc. Trid. ses. 14. de Reform.cap.12.
E Pius IV. & S. Pius V. Const. 18. Quanta.
F Concil.Trid. sess.7.de reform. c.13. Concil.Senon. in dec. morum. Concil.Colon. 2.p. 1.c.11. Colon.3. tit.de altero medio cá. 6. can. 7. & 9.
A Extrav.amb. de rebus Ecclesiæ non alienan.Cap. Si quis Presbyter. Concil. Toletan.cap.12.
B S.Leo 1.const. 1. Occasio. 12.q. 2. cap.non licet Papæ.Cap.Nulli liceat.

fuerint sine nostra, B vel Sedis Apostolicæ licentia: ideò mandamus, sub pœna suspensionis, & excommunicationis C respectivè latæ sententiæ Nobis tantùm reservatę, omnibus, & singulis, tàm Ecclesiasticis, quàm secularibus, cujuscumque gradus, vel dignitatis sint, ut infrà bimestre à die publicatæ hujus Synodi Nobis revelent beneficia, quæ possident, vel sciunt ab aliis possideri, nec non documenta, & scripturas ad hoc concernentia, ut possimus, D quando vacaverint dignioribus conferre. Sciant beneficiorum Patroni non posse pacisci cum presentatis ad beneficia de jure patronatus, ut sibi retineant aliquam portionem fructuum ipsorum beneficiorum, sed omnes redditus, omnesque fructus ad beneficiatos esse transferendos, nec posse pacisci, ut post aliquod tempus aliis ea resignent, aliàs intelligant, se incurrisse excommunicationem E Summo Pontifici reservatam, contentam in Bullis Pii IV. & S.Pii V.

Beneficia curam animarum habentia, adhibito concursu ad præscriptũ F Concilii Tridentini, dignioribus cõferentur.

CAPUT XVI.

De rebus Ecclesiæ non alienandis:

Quibus pœnis Pontificiæ leges animadvertant in eos, qui res Ecclesiæ alienare præsumunt, A satis abundè in nostra prima Synodo innuimus. Verùm quia hominum cupiditas nova semper diffugia quærit, ut eas alienet, & pœnas evadat, ideò Nos omnes moneamus oportet, eos, qui Commissarii B, vel Delegati sunt, an rerum ecclesiasticarum alienationes cedant in evidentem Ecclesiarum utilitatem, si quocumq; motivo fraudem fecerint attestantes in utilitatem cedere, quæ utilia non putant, sciant incidere in eamdem excommunicationis pœnam, Summo Pontifici reservatam, in quam ipsi alienantes incidunt, id quod cuperem altius imprimi in animis multorum, quandoquidem à fraudibus forsan abstinerent, nec tot fierent alienationes. Mandamus omnibus pro-

Procuratoribus, & Administratoribus Ecclesiarum, ut earum suppellectilia non audeant aliis Ecclesiis commodare *C*, & multò minus hominibus ad usus prophanos, quia experti sumus ità suppellectilia frequenter distrahi, & frequentius absumi: quod si ad usus *D* prophanos commodasse comperiemus, commodantes severè mulctabimus.

CAPUT XVII.

De verbi Dei prædicatione.

DIvini Verbi Prædicatores, sive Parochi sint, ad quos ex officio *A* spectat, & Nos præcipimus, ut quolibet die festo inter Missarum solemnia ad populum concionem *B* habeant, sivè alii Sacerdotes, seculares, vel regulares à Nobis destinandi, tunc suo benè fungentur officio, cum toto pectore incumbent ad vitia eliminanda, & virtutes in animis fidelium inserendas: quoniàm verò in nostra Diœcesi, inter cætera, quę animum nostrum solicitant, blasphemiæ vitium eo usque inolevit, ut quæ magis sunt veneranda, ea potissimum homines execrentur, & mysteria, quæ nostram redemptionem sunt operata, nec immunia sint à blasphemiis, & conviciis, quod vitium homines cujuscumque sexus, ætatis, & conditionis sint totos possidet, ità ut infantes ad parentum exemplum, quando primò incipiunt loqui in blasphemas erumpant, quod horrendum est viro christiano, ideò Concionatores monemus, eisque sub interminatione divini Judicii præcipimus, ut contrà hoc vitium frequenter insurgant *C*, omnesque orationis nervos intentant ad demonstrandam blasphemiæ gravitatem *D*, & mala, quæ inde sequuntur, quantumque dedeceat virum christianum ea, quæ colere, & venerare debet maledictis insectari, nec suo muneri satisfecisse putent, nisi hoc vitium stirpitus evellant. Quod ut assequi possint, inter cætera hoc animadvertant oportet, nil magis depravatis hominibus ad execrationes fomenta præstare, quàm si ludo vacent; quandoquidem, dum pecuniarum ja-

ctu.

C Concil. Mediolan. 1.par.2. tit. de Eccles.& earum usu.

D De religiosis domibus c.ad hęc Concil.Mediolā. 1.par.2.tit. de Ecclesiis.

A Concil.Colon.2.p. 4 c.14.

B Concil.Trid. sess. 5.de Reform. cap.2.& sess.24. cap.4.Cōcil.Lat. sub Inn. 3. cap. 10.c.Inter cęt.de off.Iud.ord.Concil. Constant. 8. c.8. Cap.Exiit,§.Habetur etiam de verb. signif. Concil. Lat. ult.sess. 11. Concil.Carth. 4.cap.20.Concil. Remen. C. Epis. nullam rei 88. dist. Concil. Magun.c.24.

C Pœnæ blasphem. De maledictis cap. final. Concil.Lat.5.sess. 9.Iulius 3.const. 23.in multis.Cōcil. Mediolan. 1. p. 1. tit. de blasphemia.

D Leo X.Const. 7.supernæ §.33. Constit.Iustiniang tit.11.cap.14.§.14.

cturam faciunt Deo, ejusq; Sanctis facilè irascuntur, quasi jacturæ causa sint: ideò docebunt eos, qui ludendo in blasphemias irruunt, quandocumq; ludant semper peccare, porrò blasphemandi se proximo exponunt periculo, nec vacare culpà colludentes cum his, quia alienis peccatis cooperantur, eorumq; insaniam detestentur, qui, vel pecuniarum jacturis majora detrimenta cumulant, vel pro minimo emolumento maximum pati damnum non verentur.

Maleficos *E* itidem, & vanæ observantiæ reos non desinant Concionatores insectari, in quæ mala præcipuè dilabuntur mulierculæ, qua malitia, qua ignorantia. Dierum quoq; festorum venerationem, & cultum frequentissimè populo inculcabunt, demonstrando severissimum Deum esse ulctorem contrà transgressores.

Ad prædicandi munus quadragesimali tempore nullus à Nobis assumetur, nisi adeò bonis moribus sit imbutus, ut magis exemplo, quàm verbis prædicet. Sit provectæ *F* ætatis, & nisi necessitas aliud suaserit, approbatus sit ad confessiones audiendas, ut possit subvenire necessitatibus multorum, & maximè mulierum, quæ frequenter præ verecundia exteros expetunt confessarios.

E Greg. 1. lib. 12. Epist. 13. Innoc. 8. const. 1. Summis. Concil. Regiticinum c. 25. Concil. Sabir. c. 25. Concil. Roman. 4. sub Damaso c. 4. Leo 4. Epist. 2. Greg. XV. const. 45. Omnipotentis.

F Concil. Raven 2. sub Clem. V. cap. 13. Concil. Senon. in decret. morum c. 35. Extr. de Privileg. cap. Inter cunctas.

CAPUT XVIII.

De vita, & honestate Clericorum:

Quantum sacerdotalis *A* celsitas gradus præ seculi dignitatibus eminet, tantum Sacerdotes virtutibus emicent oportet, ut intuentium animos ad eas alliciant, provocent, trahant, proinde conversatione, corporis compositione, & ornatu, morum moderatione ad sacrorum Canonum, & Cōciliorum præscriptum prælucere debent, quod ut fiat, quæ in nostra prima Synodo, vel mandavimus, vel monuimus, servari districtè præcipimus, neque hic repetere opus esse putamus. Unum tamen moneamus oportet, quod sicut Ecclesiasti-

A Concil. Colon. 2. p. 2. c. 2. Fabian. Epist. 2. Concil. Lateran. 4. c. 61. de fide, et sūma Trinit. c. 1. Pontian. Epist. 1. distint. 21. cap. Cleros. Concil. Aquisgran. sub Ludovico Pio c. 99.

ſticorum bona *B* ab oneribus, & collectis publicis immunia eſſe debent, & ea collectantes directè, vel indirectè incurrunt excommunicationem Summo Pontifici reſervatam, ità non debent Eccleſiaſtici donationibus ſimulatis, & fictitiis ſibi à conſanguineis, vel quibuſcumq; factis univerſitates gravare, & bona à debitis collectis, & impoſitionibus eximere, dignum eſt enim, ut quæ ſunt Cæſaris reddantur Cæſari, & quę ſunt Dei Deo, eo magis, quod ex iis indebitis exemptionibus gravarentur pupilli, & viduę, aliæq; perſonæ miſerabiles, quibus ſubveniendi, & eas ab injuriis defendendi Eccleſiaſticis à Domino demandata eſt cura: propterea, qui fraudolentas hujuſmodi *D* donationes, venditiones, vel quoſcumq; contractus, vel fecerit, vel acceptaverit, excommunicationem ipſo facto incurrat, Nobis tantùm reſervatam, à qua abſolvi non poſſit, niſi contractum reſciderint, & damnum reparaverint, nec à Nobis cenſeatur conceſſa facultas ab ea abſolvendi, niſi eam ſpecialiter impertiamur, & ſemper contractu reſciſſo, & ſatisfacta parte.

Mandamus, ut nemo Eccleſiaſticorum, etiam prima tonſura inſignitus, vel habitum clericalem de noſtra licentia deferens, audeat poſt ſecundam noctis horam ſine lumine *E* ambulare, nec inſtrumentis muſicis ſonare, vel cantare per vias publicas, vel vicos, ſive nocte, ſive die, nec cantantes, vel ſonantes comitari, ſub pœnis Nobis benè viſis.

Litterarum ſtudiis *F* vacent, Concilium Tridentinum, & Cathechiſmum Romanum præ manibus habeant, præſertim ii, qui ad ulteriores ordines, vel gradus, & dignitates cupiunt aſcendere, & cætera ſervent, quæ in noſtra prima Synodo ſtatuimus.

B Concil. Lateran. 4. c. 46. de Immun. Eccleſ. c. Advers. Conc. Conſtant. ſeſ. ult. in cõfirmat. cõſt. Imper. Concil. Vormat. 1. c. 24. de Im. Eccleſ. c. Nõ minus, & in 6. c. 1. Clement. de Im. Eccl. c. un. Extra, de Im. c. quod olim. Clem. de cenſibus, c. final. Cõcil. Lat. 5. Seſ. 9. Bulla de reform. Curię c. 2.

C Matth. 22. Mar. 12. Luc. 20.

D Sac. Congreg. ut refert Cobel in ſuo Bull. tit. Privil. & eſenti. c. 4. fol. 170. eadem S.C. Epiſcop. Ripę tranſonis ſub die 18. Auguſti 1654. ead. Epiſcop. Accianen ſub die 28. Iunii 1633. Corrad. in Prax. Apoſt. diſpenſ. in addit. ad cap. 5. lib. 4. n. 33. verſ. quod quidem editũm fol. 22.

E Concil. Cart. 4. c. 47. & 48. & c. 62. Concil. Trid. Seſ. 22. cap. 1.

CAPUT XIX.

De Monialibus.

Sacrarum Virginum Deo dicatarum, quemadmodum corporis, ità & animi, ut illibata cuſtodiatur integritas, mandamus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus omni-

F Concil. Cart. 4. c. 53. 12. q. 1. cap. cui portio, & C. Deo ſunt. Concil. Coloñ. 2. part. 2. cap. 5. Concil. Mediol. 1. par. 2. Concil. Trid.

nibus, & singulis, tùm in Clausurà, tùm in Conservatoriis degentibus, ut cum viris non *A* alloquantur sine nostra licentia in scriptis, exceptis conjunctis in primo, & secundo gradu, porrò communicantes peccato eorum, qui cum ipsis alloquentes excommunicationem à Nobis latam incurrunt, mortaliter peccant, quamvis excommunicationis gladio non feriantur. Cum mulieribus inhonestis, vel suspectis non tractent, nec morentur in cratibus, vel rotis, tempore divinorum *B* officiorum, nisi necessitas expostulet, & tunc de licentia Abbatissæ, vel Præpositæ, cujus erit necessitatis gravitatem dignoscere.

A' fenestris, vel tectis neminem alloquantur, nec mulierem, aut degentem in alio *C* Monasterio, vel Conservatorio, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Nobis reservatæ.

Choro deputatæ sedulò inserviant, & quotidie recitent, vel cantent Officium divinum *D*, nec desint interesse meditationibus, & orationibus à Regula præscriptis, memores se ad hoc à Deo esse vocatas. Iejunia, quæ sancta Mater Ecclesia, vel Regula præcipit inviolabiliter servent, & in omnibus virtutum operibus de die in diem proficere studeant, quemadmodum Christi sponsam decet.

In eligenda Abbatissa, seù Monasterii *E* Præfecta nullo humano ducantur affectu, sed S Spiritus ductum secutæ, eam eligant, quæ magis Dei servitio, & Monasterii commodis expedire videbitur, & Præfecta se assumptam intelligat non ad dominium, & honorem, sed ad honorem Dei zelandum, & ad custodiendos thesauros in vasis fictilibus, rationem de alienis peccatis Deo reddituram.

Portis, & rotis nulla præficiatur, nisi *F* probata sit omnium vigilantissima, & apta putetur ad agendum excubias, nec porta unquam *G* aperiatur, nisi ad immittendum, vel emittendum ea, quæ necessaria sunt, & non possunt per rotas immitti, vel emitti, & statim claudatur, nec ultrà necessitatem detineatur aperta.

Comitatrices eà sint morum gravitate, ut ingredientes ad ve-

A Concil. Arelat. 4. c. 7. Conc. Paris. 6. lib. 1. c. 46. Concil. Matiscon. 1. c. 2. Concil. Nicen. 2. c. 20.

Non possunt cū aliis extra loqui à Prima usque ad Vesperam Conc. Cabilon. 3. c. 56. Concil. Raven. 3. post Clem. V. c. 11. Concil. Later. 3. c. 11. De vita, & honest. Cler. cap. Monasteria. Paulus V. Const. 74. Monialium.

B Concil. Mediol. 1. part. 2. tit. Quomodo versādum in Choro, & part. 3. tit. de Clausura & Monialium.

C Ibid. de Clausura &c.

D Concil. Magunt. sub Leone 4. c. 17. Concil. Colō. 3. tit. de officiorū & Conc. Cabilon. 3. c. 59. Concil. Oxon. 1. c. 36.

E De election. in 6. cap. Indemnitatibus, & cap. Causam.

Concil. Trid. Ses. 25. de Refor. Reg. c. 6. Cōcil. Cabil. 3. c. 52. Greg. 1. lib. 3. ex reg. Epist. 11. 20. q. 1. cap. Iuvenculas. F Cōcil. Cabilon. 1. c. 64. G Concil. Nicen. 2. c. 20. Concil. Cabil. 1. c. 63. Concil. Turon. 3. c. 29. Concil. Magun. 4. c. 79.

venerationem provocent, quemadmodum Novitiarum *H* Pręposita, ea debet præfulgere morum innocentia, ut ejus conversatio ad Religionis amorem excitet, & ità Regulam calleat, ut possit eam novitias edocere.

Solemnitates *I* in Ecclesia ita celebrent, ut non ad pompam, sed ad majorem Dei gloriam celebrari ab omnibus judicetur.

A' cratella *L* communionis neminem alloquantur, nisi quãdo opus fuerit Sacristam de iis, quæ pertinent ad sacristiam, inviolabiliter enim volumus servari *M* mandatum SS. Domini Nostri Clementis Divina Providentia Papæ XI. & cætera servent, quæ in prima nostra Synodo statuimus.

H Concil. Colon. 3. tit. quo ad instituendum c. 1. S. Coug. 1593. 10. Mart. 119. §. 4.

I Concil. Mediolan. juxta S. Caroli decreti de Regim. Monial.

L Concil. Mediolan. 1. part. 3. tit. de clausura &c. Monialium.

M Sic legitur ex lit. Archiep. Seleuciæ Nunc. Apost. in hoc Regno sub dat. Neap. die 27. Novemb. 1706.

CAPUT XX.

De Seminario:

EX Seminario benè instituto quantum utilitatis, & commodi *A* Diœcesis præcipiat, ex eo licet colligere, quod major pars Sacerdotum, & Parochorum, qui in ea, vel doctrina, vel bonis moribus eminent, in Seminario fuerunt nutriti, & educati, ideò nostra præcipua cura semper fuit, ut benè dirigeretur, & gubernaretur, multumq; operis, & laboris insumpsimus in dandis regulis, & præceptis, quibus ad omnem pietatem, & doctrinam instituantur, eaque omninò servari volumus, & mandamus, quod, ut inviolatè servetur, præcipimus, ut semel in mense in publico refectorio legantur.

In Seminario nemo admittatur, sine nostra licentia in scriptis, nec sine ea è Seminario eiiciatur, & passim admittantur, qui sunt bonæ *B* indolis, & ingenii de quorum profectu probabilis sit conjectura.

Graviora delicta Nobis à Rectore *C* denuncientur, ut possimus opportunè mederi, & ipse Rector ità severitatem cum comitate commisceat, ut magis Patrem, quàm Judicem representet. Cætera in regulis satis abundè sunt disposita.

A Concil. Tolet. 4. cap. 24. 12. q. 1. cap. 1. q. 1. c. omnis ætas.

Concil. Trid. sess. 25. cap. 18. de Refor. Concil. Later. sub Leone X. sess. 9. de reform. Curia, & aliorum.

B Synod. Adiacen. opusc. 17. Zenoph. de Repub. Laced.

C Synod. Adiacen. Alerien. & Avellinen.

De diebus festis servandis.

A C.1.de feriis, & c. 1. de consecrat. dist. 3. Concil. Trid. Sess. 25. de elect. cib. ieiun. & dieb. fest. S. Pius V. in const. quæ incipit, cum Primum 6. Kal. Aprilis 1566.

B Exod. 20. 8. 10. 11.

C Concil. Colon. 2. part. 9. cap. 9. Concil. Oxonien. 1. cap. 1.

D Concil. Ravē. 2. sub. Clem. V. cap. 10. & pœnæ ibidem, & Concil. Trid. in decret. de delect. ciborum.

E Cōcil. Mediolā. 1. part. 1. tit. de festorum observantia. Synod. Adiacen.

Diei A Sabbati celebritas, quantum ad Dei cultum pertineat, & quomodo servanda sit expressit clarè Dominus in Exodo his verbis: B *Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabatum Domini tui est. Non facies omne opus in eo, Tu, filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus Cœlum, & Terram, Mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requievit in die septimo, idcircò benedixit Dominus diei Sabbati*. Quod etiam commemorat in Levitico, Deuterono. mio, apud Isaiam, Hieremyam, & Ezecchielem Prophetas, quibus omnibus in locis hoc de Sabbati cultu datum est præceptum, ut demonstraret, quanti interfit illud servari: quæ omnia reminisci C pudet, cùm animadvertimus in nostra Diœcesi cultum Sabbati tam enormiter violari, nec à feriatis diebus festos dies differre, tametsi nostra solicitudo omnia adhibuerit remedia per edicta, specialiter super hoc emanata, & per Constitutiones synodales, quæ firma in suo robore relinquimus. Mandantes omnibus, & singulis D Parochis, ut idētidem in suis concionibus de diebus festis servandis sermonem habeant, explanando utilitates, quæ ad eos redeunt, qui sedulò huic præcepto obtemperant, et supplicia, quæ de illis sumpsit Deus, qui hoc præceptum violarunt, ut ex libro Numerorum licet colligere. Mandantes itidem Vicariis foraneis, ut omni studio, omniq; cura, et diligentia invigilent, ut trāsgressores E debitis mulctentur pœnis, quod si in hoc negligentes fuisse comperiemus, severè puniri curabimus.

ELEN.

ELENCHUS DIERUM FESTORUM,

Qui in nostra Diœcesi servantur.

JANVARIVS.

1 Circumcisionis Domini.
6 Epifaniæ ejusdem.

FEBRVARIVS.

2 Purificationis B. M. Virginis.
24 S. Matthiæ Apostoli.

MARTIVS.

19 S. Joseph Sponsi B. M. V.
25 Annunciationis B. M. V.

APRILIS.

2 S. Francisci de Paula Provinciæ Protectoris, & Civitatis Patroni principalis.

MAJVS.

2 SS. Philippi, & Jacobi Apostolorum.
3 Inventio S. Crucis.

JVNIVS.

24 Nativitas S. Joannis Baptistæ.
29 SS. Petri, & Pauli Apostolorum.

JVLIVS.

25 S. Jacobi Majoris Apostoli.
26 S. Annæ Matris B. M. V.

AVGVSTVS.

4 S. Dominici Regni Protectoris.
10 S. Laurentii Martyris.
15 Assumptionis B. M. V.
25 S. Bartholomęi Apostoli.

SEPTEMBER.

8 Nativitatis B. M. V.

19 S. Januarii Martyris præcipui Regni Patr.

21 S. Matthæi Apoſtoli.

29 Dedicationis S. Michaelis Archangeli.

OCTOBER.

20 SS. Simeonis, & Judæ Apoſtolorum.

NOVEMBER.

1 Omnium Sanctorum.

30 S. Andreæ Apoſtoli.

DECEMBER.

8 Immaculatę Conceptionis B. M. V.

21 S. Thomæ Apoſtoli.

25 Nativitatis D. N. Ieſu Chriſti.

26 S. Stephani Prothomartyris.

27 S. Ioannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ.

28 SS. Innocentium.

31 S. Sylveſtri Papæ.

FESTORVM MOBILIVM.

Dominicæ omnes per annum.

Paſcha Reſurrectionis Domini cum duobus ſequentibus diebus.

Aſcenſionis Domini.

Pentecoſtes cum ſequentibus duobus diebus.

Feſtum Corporis Chriſti.

SS. Patroni in proprio Oppido, vel Pago.

In Tribunali noſtro ſervantur tantum Feſti dies de præcepto Eccleſiæ, et à die Nativitatis Domini uſq; ad Epiphaniam, et à Dominica Palmarum, uſq; ad Dominicam in Albis.

ELENCHVS JEJVNIORVM.

Dies omnes à feria IV. Cinerum uſq; ad Sabbatum Sanctum incluſivè, exceptis diebus Dominicis, quibus tantùm abſtinentia à carnibus, ab ovis, et lacticiniis præcipitur.

Fe-

Feria IV. VI.& Sabbato quatuor temporum per annum videlicet post Dominicam primam Quadragesimæ, post Dominicam Pentecostes, post festum Exaltationis S. Crucis, post Dominicam tertiam Adventus.

Vigiliæ S. Matthię Apostoli:
Nativitatis S. Ioannis Baptistæ.
SS. Pętri, & Pauli Apostolorum.
S. Jacobi Majoris.
S. Laurentii.
Assumptionis B. M. V.
S. Bartholomei Apostoli.
S. Matthæi Apostoli, & Evangelistæ.
SS. Simonis, & Judæ Apostolorum.
Omnium Sanctorum.
S. Andreæ Apostoli.
Nativitatis Domini.
Pentecostes de consuetudine.

Quæ si incidant in Dominicam jejunandum erit Sabbato præcedenti, uti etiam si vigilia Nativitatis, S. Ioannis Baptistæ incidat in diem festum Corporis Christi jejunandum erit feria IV. antecedenti.

Liceat feria VI. vel Sabbato vesci carnibus, quando incidit festivitas Nativitatis Domini.

Vigilia Conceptionis B. M. V. servatur in hac Civitate de voto, & in aliis locis Diœcesis, ubi votum est emissum.

CONCLVSIO SYNODI.

VOlumus autem, & decernimus, ut hæ nostræ Constitutiones Synodales non abrogent, derogent, aut quoquo modo infirment, Cōstitutiones nostræ primæ Synodi, quas in suo robore, & firmitate relinquimus, quatenùs Summorū Pontificum Constitutionibus, Sacræ Congregationis, & his nostris decretis non adversantur, & ubi promulgatæ fuerint intrà duos menses omnes, & singulos, quos tangunt, afficiant, ac si personaliter singulis notificatæ, & intimatæ fuissent.

Et

Et ut nemo ignorantiæ excusationem possit adducere præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis Parochis, & confessariis, ut statim ac obligari incipiunt, satagant apud se habere hanc, & nostram primam Synodum, & ad hoc ut experiri possimus, nùm his nostris mandatis obtemperaverint, volumus, & præcipimus, ut in prima nostra visitatione eas Nobis exhibeant, & præsentent, in qualibet Sacristia cujuslibet Parochię, sub pœna librarum trium ceræ albę elaboratæ piis usibus, &c. Interpretationem autem harum Constitutionum Nobis tantùm reservamus, salvo semper judicio S. Sedis Apostolicæ, cui eas submittimus.

OFFICIALES SYNODI.

Theologi, & juris periti cum voto consultivo tantùm

V. I. D. D. Antonius Vecchi Decanus ✝

V. I. D. D. Franciscus Antonius Falbus Thesaurarius.

V. I. D. D. Dominicus Ferrari Canonicus.

V. I. Prof. & in Sac. Theol. licent. D. Cajetanus Vitale Canonicus.

P. D. Franciscus de Franchis Abbas Monasterii Succursi, Pręses Provinciæ, & Procurator generalis Ordinis Cisterciensis ✝

F. Aloysius Maria de Dura Sac. Theologiæ Lector, Pater Provinciæ, & Prior Conventus S. Dominici de Guardia Ordinis Prædicatorum.

F. Bonaventura Leuzzi S. Theol. prof. Ordinis S. Francisci de Observantia ex Diffinitor.

V. I. D. D. Salvator Spiriti. ✝

V. I. D. D. Ignatius Barracca ✝

V. I. D. Antonius de Planis. ✝

V. I. D. Franciscus Antonius Gullo ✝

Synodi Promotor.

V. I. D. Canonicus D. Dominicus Ferrari.

Secretarius Synodi.

V. I. Prof. et in Sac. Th. licentiatus Canonicus D. Cajetanus Vitale.

In-

Iudices Synodales.

Dominus Vicarius Generalis V. I. D. D. Ioseph Zito Abbas S. Xisti, & Baccaritii.
V. I. D. D. Antonius Vecchi Decanus.
V. I. D. D. Carolus Valente Archidiaconus.
V. I. D. D. Franciscus Anton ius Falvo Thesaur.
V. I. D. D. Seraphinus Percacciante Canonicus.
V. I. D. D. Ioseph Augurati Canonicus.
V. I. Prof. D. Antonius Vitale Canonicus.
V. I. D. D. Aloysius Girardi Canonicus.
V. I. D. D. Cajetanus Lu pinacci Canonicus.
V. I. D. D. Dominicus Ferrari Canonicus.
V. I. D. D. Franciscus Antonius Furgivelis Canonicus.
V. I. Prof. D. Gulielmus Parisius Canonicus.
V. I. Prof. & in Sac. Theol. licentiatus D. Ignatius Tilesius.
V. I. D. D. Flavius Petrozza.
V. I. D. D. Nicolaus de Aiello.
V. I. D. D. Franciscus Antonius de Vrso.

Examinatores Synodales.

V. I. D. D. Ioseph Zito Abbas S. Xisti, & Baccaritii, Vicarius Generalis.
V. I. D. D. Antonius Vecchi Decanus.
V. I. D. D. Franciscus Antonius Falbo Thesaurarius.
V. I. D. D. Seraphinus Percacciante Canonicus.
Canonicus Cajetanus Gargano in Sac. Theol. licentiatus.
Canonicus D. Leonardus Curtio.
Canonicus D. Vincentius Clausi in Sac. Theol. licentiatus, Rector Venerab. Seminarii Consentini.
V. I. D. D. Dominicus Ferrari Canonicus.
V. I. Prof. & in Sac. Theol. licentiatus Canonicus D. Cajetanus Vitale.
V. I. Prof. D. Ioannes Baptista Cava Parochus.
V. I. Prof. & in Sac. Theol. licentiatus D. Cajetanus Monaco Parochus.
D. Thomas Leonetti Parochus, & in Sac. Theol. licentiatus.
P. D. Franciscus de Franchis Abbas Monast. Succursi, Præses

Provinciæ,& Procurator Generalis Ordinis Cistercienfium.
F. Aloysius Maria de Dura S. Theol. Lector Pater Provinciæ, & Prior Conv.Guardię Ordinis Prædicatorum.
F. Aloysius Saracena Baccalaureus Ordinis Prædicat.
F. Ioseph Matera Ord. S. Francisci de Observantia ex Provinc.
F. Franciscus Antonius Via Lector Iubilatus, & Corrector Conventus S. Francisci de Paula Ord. Minimorum.
F. Petrus Votta à Consentia Sac. Theol.Lector, & Provincialis Strictioris observantiæ S. Francisci.
P. D. Thomas Ruggi S.Theol.Prof. Cleric.Regular.
P. Xaverius Rossi sac. Theol. Prof. Soc. Jesu, Præfectus Congregationis Casuum Conscientiarum.
V. I. Prof. & in sac. Theol. licentiatus D. Cajetanus Vitale Canonicus.

Testes Synodales.

In Civitate Consentiæ.

D. Carolus Romanus Cantor.
D. Michael Angelus Votta Canonicus.
D. Dominicus Rizzuto Canonicus.

In Civitate Montis alti, & terris S. Xisti, Baccaritii, & S. Vincentii.

V. I. D. D. Cajetanus Cairo Parochus.

In Civitate Paulæ, & Terræ S. Lucidi.

D. Paulus Tosto Paroch.

In Terris Fuscaldi, & Guardiæ,

D. Dominicus Mazzei Vic. Foran.

In Terra Laci.

D. Paulus Bruno.

In Terris Castri Franci, Cerisani, & Marani.

D. Thomas Marigliani Paroch. & Vic. Foran.

In Terra Rendarum.

D. Nicolaus Vanni Vic. Foran.

In Terra S. Felicis.

D. Dominicus Formosa Paroch.

In Terris Monticini, Caroleorum, & Domanici.

D. Bartholomęus Durante Paroch.

In

In Bajulationibus Tessani, Dipiniani, & Paterni.
D. Hyacintus Scarpellus Paroch.
In Bajulatione Maliti, & Belsiti.
D. Salvator Guerra.
In Bajulationibus Altiliæ, & Grimaldi.
D. Ioseph Coscarella Paroch. & Vic. Foran.
In Bajulatione Carpanzani.
Cleric. Seraphinus Mirabelli Vic. Foran.
In Bajulatione Roblani.
D. Antonius Costanzo Paroc. in Sac. Theol. licentiatus.
In Bajulatione Mangonis.
D. Iordanus Artese Paroc. & Vic. Foran.
In Bajulatione Philleni.
D. Philippus Mansa Paroch. & Vic. Foran.
In Bajulatione Apriliani, & Donnicorum.
D. Ianuarius Caputo Paroc.
In Bajulatione Pettafictæ.
D. Bernardus Romano Vic. Foran.
In Terra S. Ioannis in flore.
D. Gaspar Verardi.
In Bajulatione Pedacii.
D. Ioannes Cinnante Paroc. & Vic. Foran.
In Bajulatione Spetiani Parvi.
D. Petrus Mauro Vic. Foran.
In Bajulatione Spetiani Magni.
D. Ioseph Valente Parochus.
In Bajulatione Celici.
D. Ignatius Via Vicarius Foran.
In Bajulatione Rubeti.
D. Ioannes Baptista Græco Paroch.
In Bajulatione Lappani.
D. Livius Arnone Paroch.
In Bajulatione Castrileonis.
D. Benedictus Rossi Paroch.
In Bajulatione Zumpani.
D. Antonius Sproverio Paroch. & Vic. Foran.

PRæsenti publico scripto testor ego infrascriptus D. Antonius Borrello Parochus Parochialis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Cœlum Assumptæ pagi Tessani Consentinæ Diœcesis pro Cancellarius Archiepiscopalis Curię Consentinæ, Apostolica authoritate, ac secundæ Diœcesanę Synodi Consentinę Notarius; qualiter retroscriptę Constitutiones, & Synodalia decreta in viginti, & uno Capitulis contenta in privata Congregatione à Viris doctrina, ac prudentia præstantibus, sedulò, ac sępius discussa coram Illustrissimo, & Reverendissimo Domino D. Andrea Brancacio Archiepiscopo. Demum servat is servandis, & omnibus iuxtà Pontificalis Romani præscriptum in Metropolitana Ecclesia, præsidente eodem Illustrissimo, & Reverendissimo Domino, universoq; Clero Civitatis, & Diœcesis, legitimè peractis die octava Mensis Aprilis currentis anni millesimi septingentesimi decimi quarti, quæ fuit Dominica in Albis, nec non feria secunda sequente, indictione septima, anno verò Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris Domini Clementis PP. XI. decimo quarto, & Præsulatus ejusdem Illustrissimi anno XII. per admodum Reverendum D. Cajetanus Vitale V. I. Professorem, & in Sac. Theol. licentiatum, ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicum, & dictæ secundæ Synodi Secretarium alta, & intelligibili voce lecta, & publicata fuere; multis ibidem præsentibus, audientibus, acceptantibus, & approbantibus, ac nemine discrepante præsentibus specialiter pro testibus rogatis Reverendis D. Francisco Antonio Tucci, D. Ioseph. Philippone, & D. Francisco Acito Apostolica authoritate Notariis. Vnde ad futuram rei memoriam, & ad instantiam Adm. R. D. Dominici Ferrari V. I. D. Canonici, Examinatoris Synodalis, & ejusdem secundæ Synodi Promotoris, pręsens publicum instrumentum, à me subscriptum, rogavi, &c.

Ita est D. Antonius Borrellus Parochus, Archiepiscopalis Curiæ Consentinę P. Cancellarius, & secundæ Synodi Notarius, manu, signoq; propriis.

Son.

CAmirius Miseratione Divina Tituli S. Angeli Presbyter Cardinalis. Dilectis in Christo Canonicis, & Personatibus Cleri, & Capituli Consentini Salutem in Domino. Injunctum Nobis ab Apostolica Sede Servitutis Officium, Nos admonet, & inducit, docetque, & debitum forsan arbitramur, ut ea vobis favorabilitèr concedamus, quæ, Personis vestris, & Divino cultui, decore, & ornatu deferri aspicimus opportuna. Exhibita quidèm Nobis nupèr pro parte vestra, petitionis series continebat, qualiter vos pro ornatu vestrarū Personarū in Missis, & aliis divinis Officiis celebrandis, Vestes cum Caputio infoderato cum serico rubeo, & Rocchetto more Canonicorum S. Petri Almę Vrbis, ac Crucem ultra Crucem per Clerum deferri solitam detulistis, & forsan defertis de præsenti, propter quod aliquas sententias, censurâs, vel pœnas incurrisse dubitatis. Cuperetis igitur, ex magno devotionis fervore vestes cum Rocchetto hujusmodi, licentiam Vobis ab Apostolica Sede concedi, & à præmissis absolvi; quare supplicare fecistis humilitèr, Vobis super iis per sedem ipsam, & absolutionis obtinendæ beneficio, & opportuno remedio similiter provideri. Nos igitur qualitatem ipsarum Vestium, & Rocchetti, præcibus paritèr sufficienter expressis, hujusmodi supplicationibus inclinati, authoritate Sedis Apostolicæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus speciali mandato super hoc per eandem Sedem nobis facto, Vos, & vestrum quemlibet à generalis Excommunicationis, & aliis quibusvis Ecclesiasticis pœnis, et censuris, quas si propter præmissa quomodolibet incurristis, et excessibus absolventes, & absolutos fore volentes: Vobis, ut de cætero Vestes, et Rocchettum hujusmodi, ut præfertur more Canonicorum S. Petri de Vrbe absque alicujus sententia censurę, vel pœnæ incursis, aut conscientiæ scrupulo perpetuis futuris temporibus, de Ordinarii consensu, deferre liberè, & licitè possitis, & valeatis, & vestrum quilibet Vestem hujusmodi cū Rocchetto deferre possit, & valeat. Tenore pręsentium licentiam, & liberam concedimus facultatem; Vosque, & vestros dictæ Ecclesiæ successo-

res.

rès ad aliter dictas vestes deferendum unquam cogi, aut inviti compelli minime valeatis, sicquæ per quoscumque Iudices, tam Ecclesiasticos, quam Seculares, & personas quacumque authoritate, vel dignitate fungentes judicari, interpetrari, & diffiniri, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, interpetrandi, & diffiniendi facultatem; irritum quoque, & inane, si secùs super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoránter contingerit attentari, decernentes, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac tàm provincialibus, quam Synodalibus dictæ Ecclesię statutis, & consuetudinibus, & juramento Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romę apud S. Petrum sub sigillo Officii Pœnitentiariæ Nonis Maii anno à Nativitate Domini MDLV. Apostolica Sede Pastorali vacante.

Inst rumentò assignationis Frumenti pro Hebdomadar.
In nomine Domini Amen.

ANno à Nativitate ejusdem Domini millesimo sexcentesimo secũdo, Indictione quintadecima die, vero 21. mẽsis Ianuarii, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Domini Clemẽtis divina Providentia Papæ Octavi anno ejus X. in mei Notarii publici, & testium infrascriptorũ presentia personaliter existens Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Evangelista Pallottus tituli Sancti Matthæi in Merulana Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Cusentinus nuncupatus, asserens quod cùm alias ipsæ, dum Ecclesia Metropolitana Cusentiæ Archiepiscopus, & respective administrator existeret invenisse mensam predictæ Metropolitanæ Ecclesiæ obligatam pro substentatione quindecim in dicta Ecclesia divinis jugiter servitium Hebdomadariorum nuncupatorum ad annuam solutionem ducentorum ducatorumillarum partium, dictamquæ summam toto suæ administrationis tempore persolvisse. Nunc autem cum ad sui notitiam, non sine ingenti dolore pervenerit, ab hujusmodi annua præstatione cessatum fuisse, ex quo divinus cultus non modicum imminutus existit, quodquæ priusquam dicta ducentorum ducatorũ solutio a bo-

na mem. Fantino Petrignano olim Archiepiscopo introducta fuisset in Archiepiscopali mensa dictis Hebdomadariis certa frumenti albi quantitas assignabatur. Propterea devotionis zelo ductus, ac ut divinus cultus in dicta Metropolitana Ecclesia cui præfuit, & cuius fructuum reservationem obtinet, ac certis aliis de causis animum suum moventibus augeatur, & conservetur, intendat ad infrascriptam super id provisionem devenire; igitur ipse Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Cardinalis quamvis sciat se ad infrascripta minimè teneri, nihilominus ex causis supradictis teneri volens, sponte sua, & ex certa scientia, ac omnibus quibus potuit melioribus modo, via, jure, causa, & forma promisit, & solemniter se obligavit, quousquæ supradicta fructuum reservatione gaudebit solvere dictis quindecim Hebdomadariis, & dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Succentori frumenti albi *tumulos* annuos tercentum in mense Augusti in Civitate Cusentina, *seù alibi*, assignandos, & inter eosdem inservientes modo, & forma infrascriptis distribuendos cum pactis tamen & conditionibus infra dicendis, & non alias, aliter, nec alio modo. v3. Quod Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Cōsentinus approbādo hujusmodi frumēti assignationem obliget mensam Archiepiscopalem, ac se ipsum suosque successores ad eam perpetuo dictis Hebdomadariis suis loco, & tempore præstandam, postquam dicta fructuum reservatio ipsi Illustrissimo Domino Cardinali facta cessaverit, & quod ad perpetuum in dicta Ecclesia dictorum Hebdomadariorum Servitium erigat quindecim sine cura simplicia beneficia pro quindecim Hebdomadariis, quorum quinque sint in Presbyteratus ordine Constituti, qui Missas omnes infra Hebdomadas cantandas per turnum unicuiquæ assignandas cantent, quinque sint Diaconi, cæteri quinque ad S. Subdiacon. ordinem promoti, qui Evangelia, & Epistolas respective in supradictis Missis decantent, quod supradictorum Hebdomadariorum collationem à primæva erectione dicto Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali, et deinceps quomodocumque vacan., donec prædictam fructuum reservationem obtinebit, reservet, et exinde sibi, et Successoribus suis

suis,quod supradicti frumenti assignationem dictis Hebdomadariis pro cuiusque ordinis muneris et officii conditione constituat distribuen. tantummodo servientibus quibus non servientium portiones accrescant; Postremo quod gaudeant ultra præfata Hebdomadarii antedicti etiam distributionibus Archiepiscopalis Ecclesiæ hucusque concedi solitis omnibus Presbyteris,Diaconis,Subdiaconis, et aliis Clericis Civitatis Cusentinæ in ea servientibus. Pro quibus omnibus , &c. observandis dictus Illustriss.&Rever.Dominus Cardinalis quousque dicta fructuũ reservatione gaudebit,et non ultra,nec aliter, etc.obligavit,&c.se ipsũ,et bona sua,&c.in ampliori forma Cameræ cum solitis clausulis, et renunciationibus, etc. Consentiens relaxationem mandati exequutivi,unica citatione præcedẽti,et tacto pectore,&c.juravit,&c: super quibus omnibus petiit à me notario publico,ut unum,seù plura conficerem Instrumenta publica. Actũ Romæ,in palatio S.Petri in Vaticano solitæ residentiæ dicti Illustrissimi Domini Cardinalis præsentibus ibidem Magnificis DD. Severino de Magistris de S. Severino,et Constantio Muratti a Fabriano Testibus ad præmissa vocatis, habitis, ac rogatis,etc. Ego Hieronymus Fabrius de Freicio publicus Apostolica Authoritate Causarumque Curiæ Cameræ Apostolicæ Notarius de præmissis rogatus præsens Instrumentum subscripsi, et publicavi, requisitus, &c. Adest signum. Nos Marcellus Sanctis Prothonotarius Apostolicus Sanctissimi Domini Nostri Papæ, nec non Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor , &c. Fidem facimus, et attestamur supradictum Hieronymum Fabrium de supradicto Instrumento rogatum fuisse , et esse publicum, legalem, et fide dignum Notarium , scripturisque suis publicis in Curia, et extra semper plenam,et indubitatam fidem adhibitam fuisse, et de præsenti adhiberi . In quorum fidem, &c. Datum Romæ ex Ædibus nostris sub eisdem anno , Indictione, die, mense , et Pontificatu quibus supra,&c.Petrus Antonius Maresuscus Notarius . Adest Sigillum impressum.







